



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

xij. An priuetur periurus, & falsus testis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

n. 177. Peregrinus cap. 12. num. 17. Barbosa de iure Eccles. lib. 2. c. 2. n. 126. Lezana num. 16. & Dian. p. 1. tract. 1. resol. 31.

2 Obiicies. Simoniacus æquiparatur hæretico, c. Petrus, & c. cum omnis, l. 7. 1. ergo.

Respondetur, transeat antecedens: at in pœnis (vt sæpius dictum est) non valet illatio de casu ad casum, præsertim in præiudicium causæ fauorabilis, qualis est immunitas Ecclesiarum. Vel respondetur, æquiparatur hæretico, si sit cum errore intellectus, scilicet si credat, res spirituales posse licite emi, & vendi, & tunc concedo, quod immunitate priuetur, vt mox supra dicebamus.

SECTIO XI.

An priuetur deflorans monialem?

SVMMARIVM.

1 Deflorans monialem non priuatur immunitate.

2 A plica etiam si ipsam defloret in Ecclesia Monasterij.

1 Sequitur tertio, quod neque immunitate priuetur deflorans monialem: atque ita docet præter alios Diana part. 4. tract. 1. resol. 43. contra Ludouicum Corream in relest. ad cap. inter alia, de immunit. Eccles. part. 3. num. 16. & Barbosa ad Ordin. Lusitan. tom. 2. lib. 2. tit. 5. §. 2. num. 5. Idque etiam verum est, si monialem defloret in ipsa Ecclesia Monasterij; quia (vt dub. 19. per totam, dicebamus) delicta ex eo, quod committantur in Ecclesia, non sunt de exceptis, nisi sit homicidium, vel mutilatio.

SECTIO XII.

An priuetur periurus, & falsus testis?

SVMMARIVM.

1 Periurus, & falsus testis non priuatur immunitate.

2 Omnes sacrilegi hodie, præter occidentes, vel mutilantes, gaudent immunitate.

3 Omnes publice percutientes, vel occidentes etiam Clericum, vel Religiosum, licet sacrilegium committant, non priuatur immunitate.

4 Periurus, & falsus testis, æquiparatur homicidæ, sed quoad penitentiam, non quoad omnes alios effectus.

5 Periurus, & falsus testis, si causa sint vt quis morti damnetur, sunt homicidæ proditorij moraliter, non autem physice, & ideo non priuatur immunitate.

1 Sequitur quarto, quod neque immunitate priuetur periurus, & falsus testis: atque ita in terminis nostri casus docent contra Guttierrez lib. 3. q. 1. num. 33. & Igneum in leg. 1. num. 20. ff. ad Syllan. Decianus tract. crimin. lib. 6. c. 28. num. 121. Farinac. in append. de immunit. c. 9. n. 140. Peregrin. de immunit. c. 12. n. 15. Bonac. tom. 2. disp. 3. q. 7. punct. 5. num. 11. & Char. tarius, vbi rectè ait, omnes sacrilegos hodie, præter occidentes, vel mutilantes, immunitate gaudere. Adde tu, & omnes publice percutientes, vel occidentes etiam clericum, vel Religiosum, licet sacrilegium committant, quia ex dictis nullum sacrilegium immunitate priuat, nisi sit mutilatio, vel occisio in loco sacro. Vide etiam Suar. de relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 10. n. 3.

Alterum de censur. tom. 1. lib. 2. c. 6. & Sperellum decis. 22. n. 10.

Obiicies, periurus, & falsus testis æquiparatur homicidæ, cap. fin. 22. q. 1. ergo priuantur immunitate Ecclesiæ.

Respondetur, nego consequentiam; quia in pœnis (præsertim si sint in præiudicium immunitatis) non valet argumentum à paritate, quin neque à maiori- tate rationis, vt supra dicebatur.

Respondetur secundo, distinguo antecedens: æqui- paratur homicidæ quoad penitentiam, itavt possit pro ipsis eadem penitentia imponi, ac pro homicidæ imponitur, concedo: æquiparatur homicidæ, quoad alios omnes effectus, nego: alioquin periurus, & falsus testis essent irregulares, sicut homicidæ, quod falsum est. Vel æquiparatur homicidæ voluntario tantum, concedo; homicidæ proditorio, nego: at huic tantum homicidæ imponitur pœna priuatio- nis immunitatis Ecclesiarum, vt dub. 20. dicebatur.

Instabis, saltem periurus, & falsus testis priuantur immunitate, si causa sint, vt quis morti damnetur, qui alioquin non damnetur, quia tunc sunt homi- cidæ proditorij: ergo. Atque ita non omnino im- probabiliter docet Marius Ital. de immunit. lib. 1. cap. 5. §. 4. & cap. 5. num. 14. & segg. Cutellius de immunit. Eccles. lib. 1. quest. 19. num. 11. & 12. & inclinac. Farinac. in append. de immunit. cap. 9. num. 141. quatenus dubius dicit, quod in tali casu consulendus sit Pontifex: vi- deri etiam poterit Clarus in §. falsum, in princip. Me- noch. de arbit. casu 506. centur. 4. Tiraq. de panis tempe- randis, causa 3. n. 23. & 24. Ioseph. Ludouic. de is. 1. s. n. 32. & segg. Barbosa tom. 2. de iure Eccles. cap. 3. n. 129. & Zambellus in repert. mor. verb. Ecclesia quoad eius immunitatem, n. 10.

Respondetur, nego antecedens, & ad probationem respondeo, quod in tali casu periurus, & falsus testis sint homicidæ proditorij, moraliter, concedo; phy- sicè, nego. At homicidæ proditorio physice tantum (vt supra cit. dub. 20. sect. 8. dicebam de mandante ho- micidium) immunitas Ecclesiarum denegatur. Vide quæ dicebantur cit. dub. 20. sect. 8. & §. 9. & dub. 21. sect. 7. vbi referebam Doctores nostram sententiam in terminis sequentes.

SECTIO XIII.

An priuetur, qui infert strigia in Ecclesia?

SVMMARIVM.

1 Inferens strigia in Ecclesia non priuatur immuni- tate.

Sequitur quinto, quod neque immunitate priuetur, qui infert strigia in Ecclesia, atque ita declarauit S. Congregatio Episcoporum die 16. Nouembris 1618. Quod intellige in casu, quo absit suspicio hæresis; Vide Lezanam num. 16. & quæ dicebam dub. 19. sect. 2. & dub. 22. n. 6. & segg.

SECTIO XIV.

An immunitate priuetur parricida?

SVMMARIVM.

1 Parricida ob rationes recensitas, non priuatur immu- nitate, contra Parisium, & alios.

2 In